

5. *An dignitati Regis Bohemiae quicquam detrahat, quod sit subditus & Vasallus Imperii Rom?* Negativa idcirco placet, quod consentientibus communiter Dd. servire Romano Imperio, sit libertate potiri. Unde non obstante jure Vasalligio Majestatem regiam illibatam retineri posse statuit Braudlacht in Jurisp. publ. lib. 3. c. 2.

6. *An Judæi in numerum subditorum facile sint recipiendi?* Sicuti populos hos à numero subditorum planè non arcemus; ita eosdem non facile, nec nisi summa adhibità cautione & certis præscriptis conditionibus recipiendos esse putamus. Aliàs si incommoditates ex eorum assumptione redundantes consideramus, in sententiam laudatissimi Wirtenbergæ Ducis descendere facile possemus, dicentis: Wenn die verfluchten Leute mir wolten Geld voll auf geben/ wolte ich sie in meinem Fürstenthum/weil sie an meinem Bruder und Erlöser Christo Jesu treulos worden/und öffentliche Zäuberer sind/nicht leiden.

7. *An recepti tolerandi sint?* Expulsos ex Christianorum territoriis Judæos ad Turcas confluxisse, eosdemq; varias belli machinas & alia Christianis nocitura docuisse, Cameraarius auctor est. Unde etiam Turcarum Imperatorem Christianorum stoliditatem miratum fuisse idem scribit, quod tantam Judæorum multitudinem in propriam perniciem expellere, quam in emolumentum suum retinere maluerint. Propter hanc & alias rationes, quæ apud Theologos pariter ac politicos videri possunt, receptos tolerandos esse, asserimus.



Coll. di. ss. A. 131, misc. B.